



No 369 - App XIV

17

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
D I V E R S A
E X A N T H E M A T V M
I N D O L E .

Q V A M
FAVENTE SVMMO NVMINE
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGH REGII
AC ORPHANOTROPHEI HALENS. MEDICO
PRACTICO CONSTITVTO

I N A L M A R E G I A F R I D E R I C I A N A

P R O
GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS


D. XV. IAN. A. S. R. MDCCLXIII.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

A V C T O R

CHRISTIANVS FRIDERICVS RVDIGER.

GLADOVIO - MAGDEBVRGICVS.



HALAE AD SALAM AERE SCHNEIDERIANO.



§. I.



cademicae vitae valedicens, merito recordor, quod per publicas leges specimen inaugurale edendum fit. Multum itaque de themate dissertationis pensitaturus, tandem *exanthematum diuersam indolem* perquirere constitui. Quamquam enim me non fugiat plura docta de hac materia iam exstare scripta, varia tamen idcirco addenda & determinanda deprehendi, adeo vt mihi persuasum habeam, fore saltem nonnullos rei gnaros, qui institutum meum comprobabunt. Superat omnino thematis amplitudo dissertationis limites, verum enim vero vulgo cognita missa faciam, hisque resecatis, reliquis necessario ac vtiliter dicendis patebit spatium. Adsit Summum Numen conatibus meis.

§. II.

Non sine difficultate generalis exanthematum definitio admittitur, quia plures adhuc deprauationes cutaneae, sub his haud intelligendae, existunt; semper enim arduum negotium est, ad-



modum ad finia distinguere. Maxime accommodata mihi videtur sequens notio: *Exanthemata sunt deposita praeternaturalia in cute illiusque reticulo, arctiori spatio inclusa, figura & colore distinguenda a).*

a) in hac notione varii characteres studio omitti sunt, qui alias adponuntur, quia isti exanthematibus non semper competant. Similem definitionem nostrae exhibet Cel. B. HAMBERGERVS in *dissert. de Exanthematibus, Ienae 1749* ita se habentem: exanthemata sunt parvae partes in cute, aliter quam reliqua cutis, coloratae, vel etiam tantum figuratae modo cum leui tumore, modo sine eodem, post breve tempus rursus euanescentes.

§. III.

Cum secundum ea, quae definitio continet, innotescit, exanthemata praeternaturalem statum corporis supponere, ideoque ad morbos pertinere, non inutile fore mihi videtur, si, priusquam ad accidentales diuisiones propero, in morbos vel quantitatis vel qualitatis ea diuido: prioribus adnumero, quae congestionem plethoricam potissimum pro fundamento habent; ad posteriores refero, exanthemata cum febre continua coniuncta, cum iis quae alias vocantur morbi lymphatico serosi. Accidentaliter autem, id quod e pathologicis notum est, exanthemata sicut alii differunt & ratione aetatis, & sexus, & vitae generis, & adfuetudinis, & inuasionis, & ordinis, & indolis, & sedis, & constantis euphoriae ominosique recursus, & frequentiae, & mutatae sedis, & subiecti specialissimi, & quae r. f. diuisiones morborum, de quibus in sequentibus notatu dignissima adducam.

§. IV.

In praesentiarum autem potissimum operam nauabo ad inueniendas notas, quibus perspectis vnumquodque exanthema ab altero dignoscere possumus. Me autem iudice, cum euidentissimas notas characteristicas, quibus exanthemata a se inuicem distinguenda veniunt, nobis praebeat, eorum diuersa figura & color, his am-
babus



babus ad distinguenda a se inuicem exanthemata vtar; priusquam autem ad descriptionem ipsam accedo, necesse erit, vt nonnullorum terminorum definitiones praemittam, ne forsan B. L. sub vna eademque voce aliam sibi concipiat significationem.

§. V.

Sequentes itaque notiones ad designanda postea exanthemata iuuabunt.

Macula est color cutis inconuetus non adeo late se diffundens omni carens eminentia.

Eminentia vocatur cutis praeternaturalis extensio.

Tumor est eminentia satis notabilem partem occupans, ita tamen vt eleuatio vbique aequalis & non aspera sit.

Protuberantia est eminentia non adeo late se diffundens.

Tuberculum est protuberantia in qua fluidum adhuc intra extremitates vasorum continetur.

Vesicula est protuberantia in interstitio inter cutem & cuticulam fluidum continens semper colorata.

Pustula est vesicula in cuius interstitio pus reperitur.

Pus est fluidum spissum, coctum, aequalis subalbidi coloris, nullius odoris & saporis in parte C. H. molli reperibile.

Vlcusculum est vesicula continens ichorem.

Ichor est fluidum tenue, acre, falsum, mali odoris, coloris varii, in parte C. H. molli reperibile.

Bulla est vesicula parua fluidum tenue aquosum continens.

Crusta vocatur corpusculum aridum, a coagulatione fluidorum ortum, cavitatem aliquam tegens.

Squama est corpusculum corrugatum cuti incumbens, consistens e cuticula per morbum a cute separata.



§. VI.

Ex ante dictis itaque facile exacta exanthematum in statu constitutorum diuersa indoles cognosci poterit. Differunt nempe imprimis in eo, vt constituent vel *maculas*, vel *eminentias*. Quae sola *macula* palam fiunt, sunt diuersae magnitudinis & coloris: paruae, rotundae, rubrae *petechiae* b) vocatae; paullulum maiores lentes colore referentes, *lentigines* s. *ephelides* Sommerflecken dictae; latiores adhuc maculae cinnabarino colore gaudentes, *scarlatinae* c) appellatae; etiam latiores obscuro autem, eoque diuerso colore designatae, *scorbuticae* d) renunciatae: palmae magnitudinem exhibentes, nunc euanescentes, nunc vero redientes, coloris vel fusci, vel subfusci, vel flauescantis, vel ex flauo nigricantis, *maculae hepaticae* Leberflecken pronunciatae.

- b) Etiam *petechiae*, *peticulae*, *pulciars*, *maculae malignae*, dicuntur, semperque in flore rubicundum habent colorem, si autem retrocedunt & in peiorem abeunt statum fuscae & nigricantes euadunt.
- c) Ab maculis *scarlatinis* nonnulli auctores adhuc distinguunt *roseolas* s. *rossania* s. *rossalia*, verum nullum discrimen haec exanthemata intercedit.
- d) Hae maculae, si modo leuissime fricantur, sanguinem fundunt, & pro diuersa scorbuti specie modo rubicundae, modo ruffae, modo caeruleascentes, modo nigricantes sese manifestant.

§. VII.

Sub *eminentia* complector & *tumorem* & *protuberantiam*. *Tumor* per se nunquam constituit exanthema; sed non pauca exanthemata semper coniunctum habent tumorem. Euidente exemplo variolarum, qui nunquam feliciter decurrunt, nisi pars C. H. variolis adflucta, sufficienter intumescat. Oportet ergo in diuersa exanthematum indole determinanda, tumoris concurrentem praesentiam notare.

§. VIII.

Protuberantia praesente vel tantummodo adest *tuberculum*, vel vera *vesicula*. Pleraque exanthemata priusquam ad plenariam per-



perfectionem perueniunt, in initio constituunt *tubercula*, deinde in *vesiculas* conuertuntur. Nonnulla vero exanthemata semper tubercula manent: nimirum vel dimidium pisum magnitudine aequant, saepius etiam superant, & *effere* seu *maculae urticae* die Nesselsucht vocantur; vel minora, oryzae similia, rubra, deinde racematim in varias figuras coalescentia, quae *morbilli* e) dicuntur.

- e) *Morbilli* duplicis sunt speciei, alii scilicet in fine desquamationem intrant, alii vero successiue disparent ac euanescunt; vltimi etiam *rubeolae*, die Roetheln appellantur. Hae rubeolae in vltimis mensibus praeteriti anni in maxima copia apud nos epidemice grassantes, omni respectu bonam indolem praebuerunt.

§. IX.

Vesicula vel suppurat, vel minus. Pro diuersa indole humoris in vesiculis contenti, generatur vel *pustula*, vel *ulcusculum*. Exanthema *pustulare* ad magnitudinem erui fere accedit, & vel durum, rubrum, in facie tantummodo obueniens, tardeque suppurascens obseruatur, vel molle, album, citoque cum notabili tumore supurationem intrare deprehenditur: ad priorem classem pertinent *vari*, *Finnen*, *Kupferhandel*; ad posteriorem autem *variolae verae*, f) die wirklichen Pocken numerandae veniunt.

- f) Notandum est, has pustulas variolosas, in initio quidem sub eruptione multo minores esse, deinde vero de die in diem maiores fieri, septimo circiter die in supurationem abire, tandem crustas formare, & plerumque foueas, non raro foedissimas profundas, in cute relinquere.

§. X.

Vesiculae in *ulcuscula* abeuntes sunt vel maiores ad pisi magnitudinem fere accedentes, vel minores vix dimidium pisum aequantes. Priores maiores iterum vel multum ichoris madent, notabili tumore stipatae sunt, & nomine *scabiei humidae* g) insigniuntur; vel parum aut nihil humoris fundunt, sed ichor coagulatus

latus



latus crustas diuersae figurae format, & hoc modo *scabies sicca* h) inducitur. Posteriores minores vel albi sunt coloris & *variolae spuriae* i) vocantur; vel rubri existunt coloris & cutim simul in tumorem durum, dolorificum ac ardentem extollunt, quae *impetiginis* k) voce denotantur.

- g) Ad *scabiem humidam* pertinent primo *Epinyctides*, die Nacht-Blattern, quae sunt vesiculae subnigrae, liuidae, albae, noctu praesertim faeuientes & apertae ichorem emittentes. Deinde *Achor*, qui est crustosae capitis scabiei species pluribus exiguis foraminibus saniem liquidam manans. Porro *fauis*, constituens achoris speciem foraminibus maioribus, apum fauis similibus, cutem defoedantem. Denique *Crusta lactea* achoris albi speciem sistit, et tam caput, quam totum corpus infantum lactantium occupat.
- h) *Scabies sicca* diuersimode se exserit, hinc varias species constituens, specialia nanciscitur nomina: nimirum vel cutim duriores, siccioremque reddens, magno pruritu stipata, furfuresque nigros demittens, *Psora* dicitur; vel serotum particulariter adficit, *psoriasis* appellata; vel vlcuscula sistit callo obducta, *Rhagades* vocatae; vel cutem capitis erodens, inque squamas & crustas coloris cineritii, aut flauii, cum pilorum euulsione mutans, *Tinea* nominatur. Scabies vero sicca, *Tinea* similis, totum corpus occupans, *Lepra* renunciatur, cuius summus gradus *Elephantiasis* audit.
- i) Plures species variolarum spuriarum leguntur: vel enim magis planae sunt & aquosum ichorem continent, die Wind- und Wasserpocken, vel magis acuminatae sunt, similem tamen humorem gerentes, die Spitz-Pocken vel corneam quasi duritiem attingunt & ita citra rupturam exsiccantur, die Stein-Pocken. Priores duae species ad vesiculas utique pertinent, tertia species autem tuberculis adnumeranda videtur.
- k) Cum *impetigine* conueniunt *serpigo*, *herpes*, *helcydria* & *zona*, saltem haec exanthemata nullum essentiale intercedit discrimen.

§. XI.

Vesiculas non suppurantes, fluidum tenue continentes, *Bullas* vocare solent. Simplicissimae tales *Phlyctanae* seu *papulae* nominantur. Bullae guttarum instar colore roseo tinctae, *Gutta rosacea* audiunt. Quae vero granis milii folis similes sunt, *milia-*

res



res s. *purpureae maculae* l) appellantur. Huc usque operam nauavi exanthemata secundum diuersam illorum indolem ad certas & determinatas classes reducere, idque in quantum fieri potuit, obtinuisse mihi videor. Parum ceteroquin sollicitus fui, multa synonyma, antiqua & obsoleta exanthematum nomina congregare, m) quia horum copia ad genuinam theoriam eruendam nihil plane confert.

l) *Purpura* in basi vel circulum rubrum habet, vel non; prior *rubra*, posterior *alba* cognominatur. Hae *bullae purpureae* alias etiam *sudamina*, *plantae noctis*, *hydroa*, *papulae sudorosae* & *sudorales* appellantur.

m) Si quispiam multitudine vocabulorum exanthemata denotantium delectatur, illa relata leget in Cel. HEBENSTREIT *exegefi nominum graecorum, quae morbos definiunt*. Lips 1760. & B. SCHULTZII *dissert. de Cutis exterioris morbis*. Halae 1740.

§. XII.

Accedo ad reliquas eruendas circumstantias, quae diuersam exanthematum indolem determinant. Ad has pertinet imprimis varia *eruptio* & *euanescentia*. Exanthemata erumpunt vel sola vel alio morbo coniuncta, & hoc respectu siue idiopathica, siue symptomatica vocantur. Idiopathicorum eruptio fundatur discrasia humorum diuersimode existente & ad excretionem maius minusue procliui; in actum autem deducitur, per diuersam fluidorum ad peripheriam directionem, quae iterum a causis internis & externis occasionalibus, dependet. Symptomatica aut acutis aut chronicis morbis accedunt; in chronicis semper sub fine apparent; in acutis autem eruptio discrepat, dum in malignis in primis diebus contingit, in benignis vero tardior & criticae succedit n). Euanescent interdum nimis cito & periculose, quae euanescentia *retrocessio* o) audit. Quae autem congruo tempore deflorescunt, aut disparent, aut in squamas aut in crustas abeunt.

B

n) Acutus



- n) Acutos morbos exanthematibus solui quotidiana loquitur praxis, & postea adhuc occasio de illis dicendi erit. Reuera autem morbos etiam chronicos exanthematum accessu finire obseruationes clinicae docent. Ita hydropem scabie, quartanam zona, tenesinum serpigine haemorrhoidalī, lethargum achoribus, paralytin purpura, lippitudinem tineae solui, eiusque commatis plura deprehenderunt Viri fide digni.
- o) Quis quaeso nescit, quot quantaque damna retrocessio exanthematum inferat, vt de hac calamitate nihil addendum sit. Sed hoc mihi videtur pro praesente scopo notatu dignum, quod morbi ex retrocessione diuersi cognoscuntur, prout ipsa retrocessa variant, adeo vt ad ipsam exanthematum variam naturam dignoscendam non nihil conferat, si morbos ea consequentes probe obseruamus. Etiam retrocessio vnus interdum alterius generationem parit, ita tamen vt pristini vestigia maneant, e. g. ex purpura rubra retropulsa oritur saepius scabies singularis rubens.

§. XIII.

Notabile exanthematum discrimen praebet subiectorum disparitas, eorumque genium illustrat. Temperamentorum ratio generalem discrasiae dispositionem suppeditat, hinc in phlegmaticis mucida lymphatica, in sanguineis sanguinea, vtraque magis humida, eaque in cholericis & melancholicis magis sicca deprehenduntur exanthemata. Porro aetas, haecque tenera morbillos, variolas, crustam lacteam, tineam, media achores, scabiem, profectior purpuram & guttam rosaceam sibi vindicat. Postea sexum sequiorem praee virili frequentius inuadunt, e. g. puerperas purpura alba, grauidas lichen, hystericas purpura rubra. Denique maximum pondus habet vitae genus: ex hoc enim fundamento efflorescunt saepe numero sedentarii scholastici, crasso & viscido chylo vtentes; in specie nautae scorbuto, fartores scabie laborant. Non raro autem ex specialissimis causis aliquid praeter hanc datam normam contingit. Ita e. g. senes variolis laborasse visum est.

§. XIV.



§. XIV.

Quod *locum* attinet, quo exanthemata se manifestant, generatim satis cognitum est, illa peripheriam occupare, & tam in toto corpore, quam separatim in singulis membris erumpere: speciatim vero notandum erit, ubi materia exanthematica fixa detinetur. Haerent itaque exanthemata vel in vasis, vel extra vasa. In initio eruptionis omnia exanthemata in vasis obseruari mihi videntur, deinde plurima extra vasa existunt, nonnulla in vasis perpetuo retenta manent, nimirum illa, quae nomine tuberculorum antea designavi. Determinandum porro erit, in quibus proprie vasis materia exanthematica inclusa sit. Anatome docet cutem copiosissimis vasis sanguiferis, lymphaticis, serosis & aliis excretoriis repletam esse; quae RUYSCHEVS iniectionibus stupendis primum demonstravit, & ab aliis abunde confirmata leguntur. Sed in arteriosis sanguiferis efflorescentiae non retinentur, quia alias pulsatio in illis perciperetur: ergo vel in serosis vel in lymphaticis, vel in excretoriis haerere debent. Admodum probabile est, quod pro diuerso humore deprauato, modo in his, modo in illis, modo in istis eruptio succedat: nisi forsitan, sub discrasia & motu intestino praeternaturali humorum, secretiones & excretiones etiam ab ordinario tramite discedant.

§. XV.

Extrauasata intra cuticulam & cutem in reticulo cutaneo p) deponuntur, & vel macularum forma tantummodo transparent, vel cuticulam sensibiliber extollunt, eminentiasque constituunt. Ad effusionem in corpus reticulare requiritur siue vasorum disruptio, siue eorum erosio; molecule enim materiae exanthematicae semper poris cuticulae & orificiis vasculorum maiores concipi debent, quia alias nulla ratio adesset, cur non plane excernerentur. Disruptio vasorum manifesto modo ab impetuoso fluidorum influxu



fluxu in vasa cutanea dependet, & hac via omnia exanthemata subito prouenientia generantur: erosio autem acrem semper supponit materiam, quae non solum lento progressu euoluitur, verum etiam parietes vasorum tarde dilacerat. Quaelibet exanthemata erosione nata, deinde quoque cuticulam corrodunt & causticum fundunt ichorem.

- p) Sicuti in genere diuersus color hominum, & praecipue nigrities aethiopum, maxime ab corpore reticulari MALPIGHII dependet; ita etiam cum praeternaturalibus in illo depositis similem habet rationem.

§. XVI.

Materia varia in exanthematibus contenta omnium plurimum ad illorum diuersam indolem contribuit. Haec generatim triplex est, nempe sanguis, serum & lympa. Pro natura deprauationis hae materiae stagnantes porro differunt: sanguis vel nimis resolutus e. g. in petechiis, vel coagulatus, e. g. in maculis scorbuticis, vel purulentus, e. g. in varis, obuenit; serum vel tenue, e. g. in bullis, vel viscidum e. g. in crustis deprehenditur; lympa vel acris e. g. in impetigine, vel ichorosa, in vlcusculis, reperitur. Haec adducta quidem diuersitatem aliquam materiae stagnantis indicant, sed multa ad diuersam deprauationem pertinentia adhuc sunt incognita. Quis e. g. huc usque materiam variolosam exacte definire potuit? Forsan variorum humorum simultanea inter se inuicem corruptio magna discrimina parit.

§. XVII.

Differentes efflorescentiarum altitudines seu eminentiae a pluribus causis originem ducunt. Ad has refero primo multitudinem vasorum expansorum sibi in stratis incumbentium, quae causa potissimum in casu exanthematum quantitate excedentium
obuia



obuia inuenitur. Deinde discrepans gradus dilatationis singulorum vasorum multiformem altitudinem introducere valet. Porro copia materiae exanthematicae maior, minorue, & determinatus impetus q) quo expelluntur, dissimiles eminentias producit. Denique multum interest, vtrum epidermis crassior vel subtilior, plus minusue cuti eiusque reticulo contigua sit, & ob hanc discriminationem exanthemata quoque in hac vel illa regione C. H. facilius & difficilius perrumpunt; imo in hoc fundamento generalis quaedam discrepans dispositio ad morbos exanthematicos posita videtur.

q) Quoties exanthemata sub fortiori impetu emergunt, toties tumores simul formant; hinc ergo patet, cur eiusmodi tumores tanquam bona signa praedicantur, quia nimirum pleniorum materiae peccantis ad peripheriam expulsionem denunciant.

§. XVIII.

Primarius exanthematum color rubicundus est, & a sanguine sine dubio dependet, quia nullus alius humor in C. H. neque in statu naturali, neque in praeternaturali rubicundus euadit. Ratio itaque ruboris in sanguine semper quaerenda est. Ab mutato colore rubicundo sanguinis per coagulationem & corruptionem in colorem nigricantem, coerulefcentem, ac flauescientem, varia colorata exanthemata generantur. Illa exanthemata quae a stagnatione & extrauafatione lymphae vel feri oriuntur, parum ab ordinario colore cutis recedunt. Interdum accidit, vt exanthemata alba circulo tantummodo rubicundo gaudeant, in quo casu cum materia lymphatica vel serosa simul aliqua portio sanguinis r) ad peripheriam pellitur. Mirandum denique videtur, dari exanthemata satis alta, non ab erosione, sed a dilatatione vasorum orta, quae tamen nullum sanguinem admittunt, sed album colorem conferuant s). Tandem etiam diuersus gradus indurationis materiae exanthematicae forsan aliquid ad disparitatem coloris contribuit,



buit, quia pro varia cohaesione, superficies exanthematum, ideoque etiam refractio radiorum luminis mutatur.

r) De hac re egregie disputat B. COSCHWITZIVS dum in *pathologia* pag. 245 de purpura tractans, sequentia notatu dignissima verba proponit: „ Vbi autem, inquit, ex defectu sufficientis appulsus sanguinis, ambitus pustularum, & cutis simul pallefcit, atque albescit, ibi purpura alba dicitur: id quod partim contingit a primo initio eruptionis, partim sub ipsius progressu, ita vt rubedo peripheriae ad tempus praesens dispareat & ita ex purpura rubra, alba euadat, in vtroque casu periculi plena. In priori enim mox ab initio defectus motuum excretoriorum sufficientium adparet, vnde crassior quidem materiae peccantis portio lento gradu excernitur, subtilior autem, & quae magis actiua & acris existit, circa partes internas nobiliores remanet, ibique effectus satis tragicos edit: in posteriori autem casu, vbi ex rubra demum alba euadit purpura, retrocessionis indicium adest. E quibus rite pensatis, facile adparebit fundamentum prognoseos de maiore periculo purpurae albae, praecipue si rubrae succedat.,

s) Rationem exclusionis sanguinis doctissime exhibet B. HAMBERGERVS in dissertatione supra citata in §is XXX & XXXI. sequentem: „ Si gradus, dicit, dilatationis vasorum maior, altitudinem exanthematis non colorati exhibere debeat, hoc duplici modo concipi potest. Primo nempe si vasa quidem ipsa, non vero initia vasorum, vbi nempe lymphaticum vel serosum ex sanguineo oritur expanduntur. Secundo modo vasa maiori gradu dilatata esse possunt & sanguinem tamen non admittunt, si materia, quae sub initium dilatationis in vas obstructum penetrauit, cito inspissatur vel coagulatur, sic enim orificium vasis dilatati ita obstrui potest, vt lympham quidem, sed non sanguinem admittat.,

§. XIX.

Progredior ad exanthematum diuisionem in *acuta* & *chronica* t) quae omnino omnem attentionem meretur, quia non solum in theoria, verum etiam in praxi vtilitatem adfert. *Chronica* vocantur dum & longum ducunt tempus, & respectu inuasionis aliis morbis chronicis similiter se habent. Non per menses, non per nonnullos annos solum, sed per plures annos, imo per integram vitam



vitam quaedam exanthemata e. g. vari, gutta rosacea, serpigines, durant. Saepius per spatium temporis euanescent, iterum accedunt, & successiue in talem consuetudinem abeunt, vt leuissima data occasione statim appareant. Vi huius consuetudinis quandoquidem peripheria communis omnium in corpore obuientium impuritarum sentina existit. Plerumque obesi non prius ab his exanthematibus liberantur, quam abundantia humorum consumta & macie aliqua corporis conspicua. *Acutae* efflorescentiae erumpunt in febribus vel intermittentibus, vel continuis benignis, vel continuis malignis, iisque compositis. Intermittentes simplices rarissime v) per exanthemata soluntur, interdum tamen & praecipue in quartana fieri obseruatur. Frequentius ex continuis benignis sunt exanthematicae febris continua simplex & catarrhalis. Frequentissime autem in febribus malignis & cum his compositis eueniunt. Quia enim in omnibus febribus malignis statim ab initio vsque ad finem impetus humorum ad peripheriam fieri solet ac debet, patet inde ratio cur in illis frequentissimo modo deposita in vasis cutaneis contingunt. Si huic directioni fluidorum periphericae adhuc accedit, vt impuritates crassiores, tanquam causae aliarum febrium, simul praesto sint, eo facilius exanthemata generantur: hinc febris catarrhalis maligna saepius petechizans, inflammatorio-maligna, facile purpurea. &c. Diligenter itaque febris speciem attendere oportet, si de exanthematibus sub illa euenientibus rectum iudicium formare animus est.

- t) Plerumque ad exanthemata acuta referuntur petechiae, purpura praecipue alba, maculae scarlatinae, morbilli, variolae, tubercula urticata; reliquae omnes autem efflorescentiae praedicantur chronicae. Sed hae determinationes non semper valent: priora enim (solis petechiis exceptis) interdum sine febre, & posteriora quandoquidem cum febre prouenisse visa sunt, sicuti obseruationes Auctorum probatorum testantur.
- v) Causae intermittentium febrium potissimum omnino in ventriculo latent, sed nihilo minus prouentui exanthematum ansam suppeditare
- pos-



possunt: quando nimirum materia febrilis sub frigore ex parte resoluta & ad excretionem parata, deinde ex ventriculo in intestina ducitur & inde in sanguinem resorbetur, fieri omnino potest, vt haec materia sub sequente aucto motu progressiuo ad vasa cutanea ducatur, ibique ex maiori crassitie stagnet. Huic sententiae subscribit Perillustris van SWIETEN in *Commentariis Tom. II. aphor. 723. Edit. Hildburgusae pag 398*, dum ita differit: „*Praeterea docent obseruata, quandoque illud, quod pruritus & exanthemata facit, haerere in ventriculo & circa praecordia; atque hoc excusso statim ista euanescere.* ... „*pag. 399. Certe mihi talia in morbis curandis occurrerunt, quae huic opinioni fauere videbantur, dum nempe sursum vel deorsum, sponte vel arte, deturbatis his sordibus, euanescebant haec exanthemata.*

§. XX.

Differentia inter exanthemata *benigna & maligna*, quae non raro etiam in libris medicis legitur, pertinet potissimum ad ea quae paragrapho praecedente dicta sunt. Nam exanthemata tam chronica, quam febres intermittentes & continuas benignas concomitantia nomine *benignarum* insigniri debent: quae autem sub decursu malignarum febrium efflorescunt, titulo *malignarum* notantur. Maligna statim ab initio per summam prostrationem virium, animi abiectiōnem cum multis anxietatibus, per lypothymias accedentes & quae reliqua sunt indicia febrium malignarum ex pathologia notissimarum dignoscuntur w). Interim secundum meam saltem sententiam, materia in sic dictis exanthematibus malignis contenta, non est malignitas febrilis ipsa, sed potius productum illius. Haec assertio duplici nititur fundamento: primo enim a priori miasma malignum multo subtilius concipi debet, quam quod ita incarcerari posset; deinde id afferere a posteriori suadet experientia, qua certiores reddimur, exanthemata *benigna & maligna* dicta sibi quoad externa criteria plane similia esse x). Videtur itaque miasma malignum tantummodo hunc vel illum humorem C. H. deprauare, qui deprauatus deinde simul in vasa cutanea pellitur, & efflorescentiarum materiam constituit.

w) Hoc



- w) Hoc modo etiam distinguit Perillustris *van swieten* *loc. citat. pag. 404* inquiens: „ in posteriori vero pulsus debilis quamuis celer, vires „ omnes prostratae, & fallax in initio morbi, quamuis maligni, ap- „ parebat leuitas, & leuamen obseruabatur, dum haec exanthemata „ erumperent.
- x) Ita in diuersis annis e. g. variolas & morbillos modo benigna indole modo maligno more grassari obseruamus, nullo tamen intercedente discrimine, quod exanthemata ipsa attinet, quamuis reliqua symptoma- ta plane discrepent.

§. XXI.

Practerea exanthemata vel *epidemicam*, vel *endemiam*, vel *sporadicam* habent originem. *Epidemicae* ergo efflorescentiae nul- lae per essentiam, sed per accidens tantum fiunt, quando ab com- muni vitio rerum non naturalium generantur. Ita quidem va- riae caussae dantur, quae morbos epidemicos producant, pluri- mum tamen intuitu exanthematum epidemicorum contribuunt aëris iniuriae. Nocet itaque aër, si, vti saepe fit, vel multis mo- dis ab temperie aequali & sanitati nostrae conueniente declinat, vel qualitatibus alienis inquinatur. Sic solae vicissitudines & mutationes eius subitaneae admodum vitae nostrae oeconomiae inimicae sunt, praecipue quando eodem non solum mense, sed eadem septimana, imo die, aër modo calidus, modo frigidus, humidus, siccus, fe- renus, turbidus vel nebulosus, se inuicem subito excipiunt: vbi fieri aliter non potest, quin toties quoque humores in corpore no- stro alterentur, modo resoluantur, modo condensentur, indeque materiae exanthematicae quam plurimae orientur. Epidemica ab aëre impuro & miasmatico generata, sunt maligna, ab intem- perie vero nata, benigna euadunt. Manifesto enim falsum est, quod omnia exanthemata epidemica existant semper maligna, quamquam id passim ab auctoribus asseritur: saepius enim mor- billos,

C



billos, variolas &c. epidemice obuenientes obseruamus, nullo tamen maligno criterio insignitos. Vnicum adhuc momentum, probe notandum, addere necesse est, nimirum quod exanthemata epidemica, instar aliorum morborum epidemicorum, quauis inuasionem & accessionem mutatae semper habeant indolem y); ideoque semper requiri exactam & attentam morbi exanthematici praesentis inuestigationem.

- y) Testis huius asserti est SYDENHAMIVS, qui in *Tract de Febris Sect. I. cap. II.* inquit: „Hoc pro comperto habeo in multiplici
 „ accuratissimarum obseruationum fide, morborum epidemicorum
 „ species, praesertim febres continuas, ita toto, quod aiunt, coelo
 „ differre, vt qua methodo currente anno aegrotos liberaueris, eadem
 „ ipsa, anno iam vertente, illos forsitan e medio tolles. Et paullo
 „ post: proinde nisi ingenti adhibita cautela, intentisque omnibus
 „ animi neruis, vix ac ne vix quidem possum efficere, ne vnus vel al-
 „ ter eorum, qui se primi meae curae commiserint, de vita periclite-
 „ tur, donec inuestigato morbi genio, ad eundem perdomandum re-
 „ cto pede & intrepidus accedam „

§. XXII.

Endemia exanthemata vocantur, quae ex causa certae regionis propria, non aliunde illata, sed innata, originem ducunt. Ita in climatibus acutis exanthemata acuta, in frigidis chronica pro endemiis generatim habentur. Maculae scorbuticae regionibus septentrionalibus, iisque qui germanico adiacent oceano sunt malum endemium. Purpura chronica in Saxonia frequentissime obseruatur. In Anglia & Malabaria praecipue grassantur variolae. In Italia saepe offendes roseolas. In Westphalia scabiem multoties deprehendes. In Holsatia febres petechiales crebro obueniunt. Lepra Arabibus Familiaris dicitur. Graecis Elephantiasis, de qua LVCRETIVS *Lib. VI.*

Est



Est elephas morbus, qui propter Flumina Nili
Gignitur, Aegypto in media, neque praeterea vnquam.
Admodum vero difficile est determinare, cur exanthemata an-
tea denominata z) in hac vel illa regione endemia sint, haec enim
explicatio multarum circumstantiarum historicarum specialissimam
supponit significationem, quae nullibi sufficiente modo relatam
legimus.

- z) In hac denominatione morborum endemiorum potissimum ad auctori-
tatem Aetorum Eruditorum Lipsiensium anno 1714 publicatorum,
Mens Maii, pag. 207 & 208. prouoco, quamquam eadem passim in
aliis scriptis quoque confirmantur.

§. XXIII.

Sub *sporadicis* illa intelliguntur exanthemata, quae a causis
individualibus subiectorum dependent. Ad haec itaque cogno-
scenda pertinent ea, partim quae supra iam de subiectis disputavi,
partim quae statim de causis disseram.

§. XXIV.

Tandem indoles exanthematum diuersa dici potest, qua-
tenus *causae*, ex quibus initium sumunt, admodum inter se discre-
pant. Equidem causas *proximas* seu *continentes* iam §. XVI. indi-
caui, sed *remotae* & *occasionales* adhuc restant, ad quas itaque sub-
iungendas me nunc conuerto. Quidquid ergo vel sanguinem in
nimis resolutum, coagulatum, & purulentum conuertit, vel serum
tenue ac viscidum reddit, vel lympham acrem ac ichorosam efficit,
vel hos humores deprauatos ad peripheriam pellit, illud omne ad
causas exanthematum *remotas* & *occasionales* pertinet. Videamus
igitur quae huius commatis sunt.

C 2

§. XXV.



§. XXV.

Nimia sanguinis resolutio multo rarior mutatio est, quam aliae sanguinis conuersiones. Oritur vel ex motu progressiuo nimio, vel ab motu intestino excedente. Circulationis augmentum, quod praecipue in febribus conspicuum est, resolutionem sanguinis magis vniuersalem producit, & inde potissimum dependent exanthemata acuta vniuersam peripheriam occupantia, rubrumque colorem habentia. Motus vero intestinus crescit in excedentem particularem, quando circulatio in certa quadam C. H. parte, siue in totum per obstructionem sublata est, siue per specialem congestionem impedita, deprehenditur. In utroque enim casu sanguis ad eum tantummodo gradum dissolutus, ut adhuc ruber maneat & tamen vasa minora cutanea intret, particularia rubentia exanthemata producit. Si enim in maiorem gradum resoluitur, tunc plane ab naturali crasi discedit, de quo casu hic non loquor, sed postea differam. Rarissime nimirum in malignis petechialibus miasma alcalinum volatile vniuersalem quoque motum intestinum resolutorium in tota massa introducit, qui vero, dum vniuersum sanguinem occupat, non raro etiam plenariam corruptionem consequentem habet,

§. XXVI.

Multo facilius autem sanguis in nimiam cohaesionem abit. Coagulatur sanguis primo sub tardiore statim motu, deinde ex quocunque defectu partium fluidarum. Spissitudinem a deficiente motu proficisci, comprobant tam plura experimenta cum illo suscepta extra corpus, quam farrago obseruationum in corpore morbofo factarum. Hinc e. g. vitae genus sedentarium, si aliis causis spissitudinem excitantibus additur, maculas scorbuticas citius lon-



longe gignit, quam in homine laborioso; id praecipue videmus in nautis & iis qui labores in nauigando vehementiores exercent, quippe qui non adeo frequenter, vel breui tempore, ab his exanthematibus infestantur, quam ii qui otiosi naui includuntur. Spissitudo ex defectu humidi diuersimode etiam generatur, plurimum tamen ad efflorescentiarum prouentum contribuunt nimiae excretiones fluidorum per sudores, his enim non solum sanguis inspissatur, sed etiam ad vasa cutanea mouetur, ibidemque stagnat. Nam constans obseruatio docet, subiecta multis sudoribus vexata purpura chronica frequenter adfligi.

§. XXVII.

Sanguinem stagnantem & arctiori spatio inclusum, purulentum fieri, doctrina de abscessibus abunde euincit. Cumque simile in variis exanthematibus contingit, concludo omnino talia ab sanguine itidem incarcerato prouenire. Sed dum in nonnullis vesiculis contenta sanguinea paucissimis diebus in pus ruunt, vel praedispositionem in humore sanguineo ad hanc subeundam mutationem, vel fermentum id celeriter efficiens, praesupponere debemus. Prioris assertionis nulla, posterioris vero varia vestigia inueniuntur. Huius census sunt facilis propagatio omnis materiae purulentae, inosculatio variolarum, historia translationis horum morborum ex vna prouincia in alteram. Videtur itaque vero simillimum, quod in vesiculis subito purulentis miasma quoddam fermentationem purulentam promouens, praesto sit, quamquam illud non semper malignam habeat indolem.

§. XXVIII.

Ex naturali quantitate aquae, qua serum fit fluidum, quae ad solidas feri partes est vt II ad I, nulla difficultate patet, quod se-



ro ad peripheriam conuerso, vesiculae tenui sero repleri possint, licet serum non semper praeternaturaliter attenuatum sit. Quando tamen exanthemata serosa partim magna copia efflorescunt, partim chronicam induunt naturam, tunc omnino ad humorem serosum tenuitate perscantem concludi debet. Serum autem fit nimis tenue diuersis modis; si ab laesa sanguificatione non decenter cum particulis solidis miscetur, tantum generatim discrasiae exanthematicae ponit fundamentum; si vero ab excretionem impedita tenue existit, tunc statim materiam efflorescentiarum proximam constituit. Quemadmodum exanthematum a suppressione sudoris ortum quotidiana experientia docet.

§. XXIX.

Omne id serum reddit viscidum, quod vel vim mouentem fluidorum minuit, e. g. plethora, vel fluida in vasis maioribus mota crassiora facit, e. g. chylus spissior, vel humores in vasis minimis inspissat, e. g. frigus. Ast ad exanthematum genesis eo tantum gradu serum viscidum fieri debet, vt vasa minora adhuc intrare queat.

§. XXX.

Lympha in se & sua natura ad visciditatem est inepta, quando vero cum maiore portione sero & minore quantitate sanguinis corrumpit, tunc singularem & foetidam corruptionem intrat, natusque inde deprauatus humor ichor seu sanies vocatur. Toties autem lympa per serum deprauatur, quoties non decenter ab illo per conuenientes secretiones liberatur. Ab hac corruptione omnia sic dicta exanthemata lymphatico-serosa ortum capiunt.

§. XXXI.



§. XXXI.

Tenuissima lymphæ in statu naturali salia inuoluta & insipida continet, quando autem per motum intestinum irregularem hæc salia euoluuntur, tunc acrem & rodentem & causticam nanciscitur naturam. Plurimas vesiculas febrium malignarum hanc acrem & subtiliorem continere lympham, indoles earum, præcipue rodens pruritus, arguit.

§. XXXII.

De reliquo cumulum caussarum occasionalium ab rebus non naturalibus dependentem hoc paragrapho complector. Aër calidus & siccus, vitales partes nimis dissipat, humorum orgasmum producit. Videmus qualem enormem vim regimen calidum in exanthematibus præstat expellendis. Aër frigidus, & maxime, si vna humidus sit, insensibilem transpirationem, partiumque excrementitiarum excretionem impedit. Aer calidus & humidus maiorem humorum attenuationem & rarefactionem, particularumque salino - sulphurearum vberiore evolutionem producit, attamen perspirationem insensibilem iusto parciolem reddit. Frequentior vsus ciborum viscidorum, farinaceorum non decenter fermentatorum, castanearum, nucum tam iugulantium quam auellanarum, piscium præcipue aduoltorum & maiorum, tendinosarum & membranacearum carniarum, acidorum & pinguium, quæ omnia agunt humores inspissando. Cibi acres, e. g. fructus horæi immaturî, aromatici, potus eiusdem qualitatis, e. g. cereuisia non defecata, mustum, acrimoniam parant humorum. Ob miseram talem & malam alimentorum conditionem sæpius etiam milites exanthematibus adfliguntur, quare scabies non raro castrensis morbus est. Qui ex meliori diaeta, in peiorem, saltem viliorem transmutantur,



tur, aut inconfuetis cibis vescuntur, facile efflorescunt. Potu admodum spirituoso, motu corporis aestate calente ad excessum suscepto, vigiliis immodicis, animae pathematibus fortioribus, praesertim iracundia, motus irregularis progressiuus & intestinus introducitur, partes acriores in massa sanguinea eminentiores redduntur, & vtilia blanda excernuntur, quae retineri deberent. Somnus immodicus, quies nimia, adfectus animi tristes, vt maeror, curae, timor humores torpidiores reddunt, dum ea retinent, quae lymphae corruptionem, acrimoniam acidam, austeritatem sanguinis, aliaque vitia craseos conciliant. Purgationibus omnibus nimis, praecipue sudore excedente, partes gelatinosae, amicae & temperantes consumuntur, vt, illis multum exhaustis, acriores magis liberae euadant.

T A N T V M.



Miscell. med. 98

